DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ, ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA, IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XXVII. APRILIS.

M. FRANCISCO LOPES, Doctore Medico Præside.

An Dysenteriæ opium?

1056

NVTRITIONE indiget quidquid viuit vt diu sit, hæc fit nusquam nisi puri ab impuro secretione; hinc excrementorum ineuitabilis prouentus altera mortalitatis nostræ fatalis causa, ab hac vt imminentem operi suo perniciem auerteret Natura, innumera excauauit organa quibus seruaret, coqueret, & educeret τὰ περιττώματα, nusquam aliàs ingeniosior quàm cum innumeros intestinorum gyros circumduxit. Hi in infima regione positi, laxis Mesenterii flexibus intersuti, quo ventriculo propiores eo magis graciles, venarumque ramulis spissius intertexti, triplici membrana circumuoluuntur. Carnosa & rugosa est quæ cauum efficit, quæ illam obducunt neruosiores; ad hos vndiquaque liber est commeatus; nulla corporis pars ad publicam sentinam non mittit: nec tamen sine lege aut mittitur, aut suscipitur, hæc si non seruetur, alui perturbationem totiusque corporis confusionem sequi necesse est.

TERRIFICVM aluinæ regionis symptoma dysenteria, cruenta omnis per intestina excretio est, seu sit αἱματηρῇ quæ hepatis ἐυτονίας index certissima nusquam Medici ope indiget, seu acrior sanguis vasorum oscula reseret, aut præ hepatis impotentia serosus cruentatam à lotis nuper carnibus aquam referat, quæ hepatica verius sunt quam dysenterica. Dysenteriam melius eam dixeris, quæ eroso succedit intestino, hæc aliquando Critica multis fuit saluti; lienosos, si breuis & fugax sit, morbo liberat, etiam longa nonnullis gibbero laborantibus lumborum libertatem attulit. Sæpius pernitiosa, seu nudum & simplex vlcus sit, seu ex maligna putredine νομὴν habens: crassa modo intestina, modo tenuia corrodit, vtriusque bilis aut pituitæ salsæ nefanda soboles: fertur per intestinorum anfractus pigro lapsu ferociens humor, abradit quidquid glutinosum illorum parietes oblinit, membranæ ramenta foliatim dehinc excernuntur, donec ipsam partis carnem depopuletur iam fatale malum: immites cruciatus, crebra deiiciendi cupiditas, noctes insomnes, ab his febris asidua symptomata sunt ipso morbo sæpe grauiora, nulla non arte domanda, temperanda.

NEQVIDQVAM medearis si ab atrâ bile vlcus est, si à flauâ, rem blande detergentibus agredere, te tamen sæuientia tormina ad ea cogent quæ lentore suo & temperie leniunt, validiora admittit crassior pituita putrescens. Appage medicum illum qui acrioribus dysenterias omnes curabat, vix ac ne vix quidem prosunt, quæ fortiter adstringunt, intempestiue suppressa dysenteria nullius non morbi causa est; venæ sectio in principio nusquam non est in vsu, vt dometur erodentis humoris æstus; profuit sæpe hæmorroïdas prouocasse; crebra sint ad manum enemata, si in crassioribus intestinis sit labes, si in tenuibus crebriores potus, lenibus sensim eblandiendus humor est donec desæuierit; tunc purgationi locus est cum mitiora sunt omnia, num & aliquando vomitui, vt contumaciter per inferiora repens humor sursum reuellatur. Hæc sæpe dysenterico salutem afferent, sæpe ea quæ illum male habent accidentia alias artes, aliam curandi rationem efflagitabunt.

INFESTISSIMVS naturæ hostis dolor est, nusquam sine morbo partem cruciat, nec vsquam sine vitæ periculo morbus est, quem carnifex hic comitatur. An ergo Medicum eum damnaueris qui vel spretâ morbi causâ dolori sedando studet? ingens est qui dysentericos dilaniat, & humoris rosione & partis sensu, non tam vlceris symptoma quam grauiorum malorum causa; irritata indesinenti vellicatione intestina irritis conatibus in mordentem humorem insurgunt, luditur ægri spes, excernit nihil quam ξύσματα & dilaceratæ membranæ interioris ruinas, nulla datur fesso requies; dilanians humor dolore attrahitur, acuitur, exasperatur, hinc crebrior deiiciendi conatus, vigilia inquies, viriumque ingens exhaustus, nec amplius quam ad tormenta viuax est tabescens ægrotus, nihil molitur fatiscens natura, quæ si darentur induciæ, humorem præpararet & coqueret. An morbi & iam futuræ mortis causam spernit, qui dum medetur dolori, somnum magnum vigilijs exhausto leuamen conciliat, humorem incrassat, illiusque acrimoniam mitigat & retundit?

OPIVM vulnerati papaueris exudans lachryma, & partium & qualitatum diuersissimarum mixtura indicibili, Narcoticum est; idem & intensè calidum & frigidum, vincit tamen calorem frigus; substantia illius spissa & viscosa, tetrum aliquid & fumidum habet, calorique natiuo infestum, hinc præparatione indiget ne noceat, torreatur donec effumarint olidi, & crassi vapores, iamque gratum aliquid spiret; aceto acerrimo dissoluatur, expurgetur sordibus suis per acuratam colationem, tepido igne rursus exsiccetur; nec temere putes admota Opio Acida; narcoticorum enim malitiam valide tenuitate sua & aciditate retundunt. Hac arte parati opii ὀλίγον omne punctum feret, efferatorum humorum rabiem securat, hos præ nimia tenuitate in partem affectam concitatos, sistit & incrassat, dolorem vltimam pernitiem minitantem tutissime lenit, irrepit post tot laboriosas noctes placidissimus somnus, & tandem affulget salutis spes in hoc rerum statu in quo conclamata erant omnia.

Ergo Dysenteriæ opium.

496

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Carolus le Breton.
M. Claudius Perrault.
M. Tussanus Fontaine.

M. Franciscus Pajot.
M. Florimundus Langlois.
M. Claudius le Vasseur.

M. Carolus le Clerc.
M. Ioannes Bourgeois.
M. Franciscus Guenault.

Proponebat Lutetiæ CLAVDIVS DE FRADES Parisinus A.R.S.H. M. DC. LVI.